

E P I S T O L A

quentius eiusmodi in artibus instaurationes resp. Regesq. prestare, quanto in scientijs, vitæque probitate, rerumq. intelligentia fieret accessio maior? Interim insolentes minimè desipiant, artiũ, medicinæ, iurisq. prudentiæ leuitatem obiectantes nobis. Neque enim detrimẽta disciplinis ipsis, verùm illarum professoribus euenerunt. Idq. nequaquam iniuria: vti siquidem præclara perpetuaque sunt in artibus, & disciplinis fundamenta: sic sæpenumerò fit, vt artifices ipsi, doctoresq. non pauci, quæ ipsorum tantum est culpa, sint explodendi. Tanta est ignauiæ, negligentia, auaritiæq. mortaliũ magnitudo. Non ab simili iam dudum contumelia subtilissimam Alchemiæ philosophiam laborasse scimus. At non in artem culpa referenda, cum eius veri authores apprimè sapientes extiterint, ipsique Reges eam studiosè tractarint:

rint: